

mens humana movetur, si quid mirabile preter solitum insperate auditur. Dum ergo die sabbati iam exacto sederem ad cenam, allata fuit mihi quędam epistola a Wilhelmo ¹⁾ comite de quodam portento ²⁾ mirabile auditu. Scilicet tribus diebus ante sollempnitatem sancti Iohannis baptiste, in quibusdam partibus mei regni, videlicet in partibus Aquitanie, iuxta plagam maritimam, pluisse de celo talis naturae sanguinem ³⁾, ut cum fortuitu ⁴⁾ cadebat super carnem hominis aut super vestimentum aut super petram, non poterat auferri lavando; si vero cadebat super lignum, tunc bene lavabatur. Siquidem per eandem aepistolam petiit a me idem Willelmus comes, ut ego requirerem a mei regni sapientioribus, quid significaret hoc portentum. Ego vero eo volo et precor, ut perquiratis in quibusdam historiis, si unquam accidisset huius simile, et quod factum sequeretur huius rei portentum, mihi que hoc eodem legato rescribite, quomodo acciderit et in qua historia inveniri possit. Attamen deprecor ne differatis ad rescribendum mihi, quia tam diu legatum huius portenti tenebo, donec mihi respondeatis. Valete.

66. Ille autem inter plurimas historiarum assertiones plenus prophetiae spiritu, his rescripsit apicibus ⁵⁾: Domino regi Francorum, Gauzlinus humilis abbas, æterni regis consortium. Quod placuit vobis interrogare ⁶⁾ de prodigio, quod accidit, hoc potest animadverti, quod sanguis semper gladium aut civile bellum aut gentem super gentem exurgere portendit. Quod vero cecidit super petram et ablui non poterat, videtur significare ⁷⁾, quia sancta ecclesia, quę supra petram, id est Christum, est fundata, tribulationem sit passura. Quod vero super carnem hominis et vestimentum eius cecidit, non poterat ablui, non incongrue accipitur per carnem populus, per vestimentum substantia, quę ad adiutorium huius vitę nobis est concessa. Ligno etiam datur intelligi vitale lignum sanctę crucis baptismumque, quo sumus ad vitam regenerati. Lignum enim ad humorem aque virescit. Archa etiam Noe, de lignis fabricata, quid significet, non ignoratis. In quibus omnibus per lignum non nisi misericordiam suam dominus operatus est. Quia igitur de ligno sanguis lavabatur, creditur quia per poenitentiam et elemosinam et per ceteros fructus penitentię, qui intra sinum matris aecclesię exercentur, severitas et indignatio iusti iudicis Dei, quę peccatoribus merito debetur ad misericordiam possit reflecti. Sane profusio trium dierum trium intelligi valet annorum spacium, quo illius regionis populus plagis cęlestis vindicę sit corrigendus. Sed misericors est Deus adeo, sicut psalmista loquitur, ut non solum homines sed etiam iumenta salvet ⁸⁾. Omnipotens Deus dilatet imperium vestrum et dextera sua vos semper protegat, et ad pacem sanctę aecclesię vitam vobis longevam tribuat et sua vos benedictione in omnibus exornet. Amen. Vale.

67. Quę res ita provenisse liquet. Nam eodem Wilhelmo non multo post vita decedente ⁹⁾, eius filius, patri equivocus, solio sublimatus paterno, contra Gauzfredum, filium Fulconis Andegavensium comitis, gravissimum bellum suscepit. Verumtamen, necdum exacto unius anni spatio, ipsum victoriosissimo devicit bello ¹⁰⁾, atque captum biennali detinuit ergastulo, infra

1) Wilhelm, Herzog von Aquitanien (Delisle). 2) Hs.: portentum.
3) sanguinem fehlt in der Hs. 4) Hs.: confortuitu. 5) Einen sehr abweichenden Text giebt der Brief in Fulberts Sammlung. Bouquet, X, 496 (Delisle). 6) Hs.: interrogari. 7) Hs.: significari. 8) Psalm XXXV, 7. 9) stirbt 1030, Januar 30 (Delisle). 10) Geoffroi Martel, Graf von Anjon, besiegt Wilhelm den Dicken bei Moncontour 1034, Sept. 20 (Delisle).